DEO OPT. MAX. VIRGINIQVE DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ, ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

(1)

QVÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS, XXIII. MARTII,

M. ANTONIO CHARPENTIER, Doctore Medico, moderatore.

An tuendæ valetudini frequens Balneum? 1006

PARTIVM solidarum ſiccitas tacito ætatis lapſu obrepens ſenectutis fatalis cauſa eſt, ſicut excrementorum proventus morborum fere omnium comes indiuiduus: Illam indeſinens parit caloris actio, hunc alimenti neceſſitas inuehit: vt vtrumque cohiberi nequit, ſic vtrumque imminuere prouida & perenni ſollicitudine ſtudet Natura. Hinc tantus organorum apparatus ad conficienda alimenta, quibus ſolis innatus partium humor renouatur, dum animalis carnes ὁλκοῖς, ne quid vſquam nutritij cremoris excidat, irriguis ſuccis & rore vitali vndequaque perfunduntur. Hinc etiam reciprocus ille aëris attracti & expulſi motus reſpiratio, qua dum æſtus caloris ἀκινήτως retunditur, & infringitur, partium ſolidarum μαράνσις retardatur. Nec minori artificio partium reſpuentium ſuperflua molitur excernere, cum enim cuiuſlibet coctionis ſua ſint excrementa, ſic & ſuos cuique ſeceſſus excauauit, quibus ſe ab imminenti refluentium ſuccorum pernicie tueretur; nec tantum hi publicis officinis efformati ſunt, ſed & totidem oſcula inſenſili effluuio velut camini exeunti fuligini perpetuo patent, quot particulis corpus coaleſcit, quarum vnaquæque læſa tranſpiratione non ſecus læditur, ac læſa reſpiratione vis Cordis labaſcit & exoluitur.

HIS artibus non ceſſat Natura ſuum opus tueri, & quantum poteſt diutiſſime ſeruare: etſi verò tot ſtupenda præſtet ἐκ τῆς διανοίας, agit tamen tam certâ rati ordinis conſtantiâ, vt mentem addat Medico ſuam omnem induſtriam ex eius imitatione componere; ideo certum aërem ſeligit & certos lares, nec omnibus qualibet tempeſtate abutitur indumentis aut cibis, ſed εὐχύμοις ſemper, vt & puriſſima lympha ſeſe proluit, non mero vt ſitim compeſcat nuſquam ἀδίψῳ, nec ſomnum ad multam diem ducit, nec ad reducem auroram vigilias: Sed genuini humoris conſeruationi ſtudens, ea omnia fugit quæ valde exſiccant, aſſam ſudationem, & hypocauſta auerſatur, hæc enim non ſecus ac Phalaridis taurus viuum hominem colliquant. Nec totus corporis humectationi incumbas, εὐλυσία τῆς κοιλίας & ſuperfluorum exoneratio, alter eſt ὑγιεινῆς ſcopus, ad quem collimat perpetuo, & peruenit ſæpiſſime, ſi ſeruato in aſſumendis modo, exercitiis calorem innatum diuerberet, tempeſtiua frictione & laudabili inunctione corporis habitum foueat, ἀδιαπνευσίᾳ vitandæ præcipue intentus, quæ fere vnica eſt & perpetua febrium putridarum parens; dum vel vis partium effœta ſuperflua non excernit, vel obcæcata pororum oſcula his exitum negant, vel tandem dum præ tenacitate, copia aut craſſitie, foras educi nequeunt.

BALNEVM aquæ dulcis ſeu Virgo ſit, ſeu Marcia, ſeu quæuis alia non abſimilis, hæc omnia tutiſſime perficit, modò nec crudo frigore cutem condenſet, nec nimio feruore humiditatis beneficium excludat, ſed γαλακτώδης blando hypocauſti calore tepeſcat, quem nec olea nec lolium accenſum excitarint, ne teterrimo vapore cerebrum lædant: apage Solis æſtum ad temperanda balnea, cuius vis aut inefficax aut inæqualis: nec puta ſanitatis tuendæ gratiâ conſtructa fuiſſe Herculana balnea, quæ qui ſæpius ingrediuntur, iure κατεψῶντες ἑαυτοὺς dicantur. Concamerata in Baiarum myrtetis laconica, tenuem & ſulphureum voluentia vaporem vere ἀνθρωπογραφία, adhibuit vorax hominum libido, aut ad irritandam edacitatem, aut ad concoquendam crapulam, vel vt exſucto ſudore ſitim quæreret: fuge infecta croco Heliogabali λοῦτρα. Sola prodeſt ad quotidianos vſus aqua ἄποιος, quæ etſi longiori mora flaccidam & rugoſam cutem reddat, exſiccat numquam: ex hac parentur balnea non in quolibet loco, neque enim blattaria ſtruenda ſunt, ſed tantum liberiori aëri pateant quantum ſufficit ad excitatæ fuliginis exitum: nec proſunt malthati balneorum parietes, aut vitro vel marmore nitentes: in his non vtilior ſed gratior eſt lauatio. Ex quatuor antiqui Balnei partibus ſola ſufficiunt tepidarium & tepidæ lauatio. Nec minori cura ſtruantur balneo inſeruientia, Vaſarium, Aquarium & Hypocauſtum: ſint & in promptu ἄρμενα lintea, ſpongiæ ſtrigilibus veterum ſuauiores, &c. ne quis in lauatione ſit error.

HAC arte temperatum balneum ſit quotidiani cibi condimentum, parcius tamen aut frequentius adhibendum pro loci, tempeſtatis, aut naturæ diſcrimine: æſtate ſub cælo calidiori, bilioſis, & iis qui acria excrementa colligunt, bis vnaquaque die repetatur, nec ſecus varij ætatum circuitus varium illud exigunt: temperatiori ſolio gaudent pueri, & minus iterato, quamquam & illo indigeant ad ἀδηφαγίας leuamentum, & vt acri educta ſanguinis æſtuantis fuligine, variolarum metu liberentur. An & inde Variolis & morbillis veteres minus obnoxij? Iuuenibus ſit familiarius, quibus λοῦτρα ἄκη πόνων παυλῶν, ſeu animi ſint labores, hos compoſito ſpirituum impetu mitigant, ſeu feſſi corporis laſſitudines: has εὐροίᾳ humorum & meatuum ſoluunt; nec religioſum puta ſenes quotidie lauare, hoc enim nullum cauſariæ ætatis tutius auxilium; adhuc feminis vtilius: quippe cunctantia menſtrua ciet tutiſſime. Hoc nullum ſuauius ὑπνωτικόν, nullum ſiticuloſis certius ἄδιψον, nec vlla inſolatis, aut longo itinere feſſis vmbra placidior, aut ſpirantis Fauonij gratior aura. Vis εὐκαίρως adhibeatur? via ſit ad cibum vacuatis heſternæ cœnæ excrementis. Caue in balneo juſcula ſumas, aut quæuis alia alimenta, nec crudum pauonem in balnea portes: rapiunt chylum in venas & corporis habitum, qui adhuc crudus longiori mora in ventriculo indigeret. Iis qui ſeſe laboribus exercent: ſit ἀποθεραπείας pars, otioſis aut quos ſtudia ab exercitationibus ſeducunt neceſſariò adhibeatur.

VNICVIQVE parti peculiare balneum perficit quod toti corpori præſtat vniuerſale, ψυχρολουσία non omnibus æque conuenit: barbari moris eſt ab vtero prodeuntes frigida immergere, cui nemo ante abſolutam αὔξησιν aſſueſcat, ne dum robur quærit obdurata cute, eadem nimium condenſata amittat: eſt tamen incipienti maraſmo tutiſſimum remedium frigidæ lauatio, præmiſſa prius tepida, abſit modo putreſcentium humorum ſumma cruditas, quæ ſemper Balneum refugit. Partium principum imbecillitas vix lauationem quantumuis temperatam admittit, ſic horroris metus hanc prohibet: hæc ſi caueas, nulli non febri proderit tepida, ideo in declinatione ſecurius adhibenda. Nihil adeo pertinaciam hemicraniæ vincit, nihil magis vim aduſtæ melancholiæ frangit aut edomat; ſicut hæmorrhagiæ periculoſum eſt tepida lauari, ita frigida ſalutiferum: nuſquam non pœnitebit arthriticum Balnei, ſæpe calculoſum, non item ſemicupij: ictero nulla balneo certior medela, nulla pſoræ aut vitiligini: impium puta humano ſanguine immergi ad Elephantiaſeos curationem. Hinc pateat φιλολουτροῦντας non modo pleroſque morbos eius ope propulſare, ſed & valetudinis tuendæ eſſe ſtudioſos.

Ergo tuendæ valetudini frequens Balneum.

Proponebat Lutetiæ FRANCISCVS LOPES, Burdegalenſis. A. R. S. H. M. DC. LI.